

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Strabonis Geographicorvm [geographicorum] Lib. XVII

Strabo

Basileae, 1539

Argumentum secundi libri, ex graeco versum per interpretem.

urn:nbn:de:bsz:31-67095

partes tres præfatus, & terram continentem uocans unamquæ partium, non ante totum intelligit, cuius partitionem facit? Quod si intelligit, non quidem orbem, cæterum partis alicuius suæ diuisionem facit. Cuius partis mundi partem di-
ceret alius Asiam, aut Europam prorsus continentē. Hæc enim crassio dicta sunt modo. Adhuc crassius illud est, eum qui loquitur nō intueri, ad quam quidem ista rum actionum partem conuertat confinium inquisitionem, cum apponat Colytum & Melitam, deinde ad contraria subuertere. Si enim de Thyrea atq; Oropo bella ob confinium ignorationem obtigerunt, ad perturbationum aliquid conuer-
tunt, quod est loca ipsa diligenter disternare, uel hoc dicit, quod de locis, &
medius fidius de gentibus, ad singula negotium est accurate disternare. In conti-
nentibus autem terris superuacuum. Et tali de re in his nihil minus. in his enim &
amplissimis ducibus certamen ac discrepatio fieri potest. Vni quidem qui Asiam
haberet, alteri uero qui Africam, diuidenti utrius sit Ægyptus, ager uidelicet Ægy-
pti, qui inferior dicitur. Catanas autem quispiam hoc propter raritatem est. Alio
modo dicendum est, continentes ipsas diuidi secundum magnam diuisionem, &
quæ ad totum orbem referatur, secundum quem nec hac de re curandum est, si per
flumina fines apponentes loca quædam indefinita omiserunt, cum flumina ipsa
ad oceanum usq; minime perueniant, & insulas re uera relinquant continentes. In
fine autem commentarij eos minime collaudans, qui omnem hominum multitu-
dinem bifariam partiuerunt, in Græcos & Barbaros, & qui Alexandrum com-
monefaciebant, ut Græcis quidem sicut amicis, Barbaris autem sicut hostibus ute-
retur. Satius esse, inquit, haec tūrtute atq; malitia diuidi. Complures enim Græcos
malos esse, & Barbaros urbanos, sicut Indos & Arianos, Romanos etiam & Car-
thaginenses respuplicas permirifice tractantes. Quapropter Alexandrum negle-
ctis monitoribus, quod licuit, uiros spectatos acceptos habuisse, eosq; beneficijs
ornasse. Sicut ob alia quædam hoc modo diuidentibus, & alios in uituperio, alios
in laude ponentibus. Vel quia per illos uincit æquitas & respublica & disciplina,
& studiorum coniunctio. Per alios uero contraria, & Alexander igitur non negle-
ctis monitoribus, sed sententiam mentemq; suscipiens, quæ quidem conseque-
bantur non contraria faciebat, scribentium cogitationes animaduertens.

*Græci.
Barbari.*

Alexander.

ARGUMENTVM SECUNDI LIBRI,
Ex Græco uersum per interpretem.

Commentario secundo hæc insunt. Proponens ad uerbum Eratosthenis di-
cta, dijudicat & arguit quæcumq; nō recte dicta, uel diuisa, uel descripta sunt.
Complura Hipparchi meminit reprehendens. In fine præcisa expositio, & quo-
dammodo sub unum aspectum tractatus uniuersus de orbis situ, seu cognitione
Geographica adiungitur.